



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1721. usque ad annum 1724

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1783

VD18 90119304

§. 41. Septem Galliæ Episcoporum epistola ad Innocentium XIII. Papam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67596)

suamque Instructionem Pastoralem re-
vocaret. Verum Rohanius suæ institutæ
sententiæ, spe fretus, Noailium hac
Pontificis epistola certo certius ad sa-
niora revocandum esse.

Sæc. XVIII.
A. C. 1721.

§. XLI.

*Septem Gallicæ Episcoporum epistola
ad Innocentium XIII. Papam.*

Hæc dum Romæ agebantur, septem
Franciæ Episcopi sub specioso sum-
mo Pontifici gratulationis officium ex-
solvendi obtentu epistolam scripsere,
in qua tamen potius suam bilem contra
Clementem XI. ejusque Constitutionem
liberius evomendi occasionem arripui-
se videbantur. Erant autem horum
Præsulum nomina hæc: Franciscus
Maillebot de la Salle, olim Episcopus
Tornacensis, Joannes Baptista de Ver-
thamont Episcopus Apamiensis, Joan-
nes Soanen Senecensis Episcopus. Ca-
rolus Joachimus Colbert de Croissy
Episcopus Montpeffulanus, Petrus de
Langle Boloniensis, Carolus de Caylus
Episcopus Antissiodorensis, & Michael
Cassagnet de Filladet Episcopus Matis-
conensis. Hi ad SS. D. N. Innocen-
tium XIII. Papam occasione Constitu-
tionis *Unigenitus* Mense Junio perscri-
bunt, atque in suis literis amplissimis

*Index lib.
Proh. p. 92.
Lafiteau l. 6.
pag. 201.
Dorfan.
Journal t. 2.
pag. 100.*

Hist. Eccles. Tom. LXXI. M pro

Sæc. XVIII. pro more suo, verbis filiale obsequium,
 A. C. 1721. ingensque gaudium ob faustæ suæ ex-
altationis nuntium profitentur; postea
 vero debitæ reverentiæ, & moderatio-
 nis Episcopalis immemores, Pontificiæ
 Constitutionis argumentum & formam
 indignum in modum proscindunt, asse-
 rere haud veriti, quod Ea veritatem,
 Apostolicas traditiones, SS. Patrum
 dogmata, moralis doctrinæ principia,
 Ecclesiæ leges, ac demum, quicquid
 religio sanctum sacrumque habet, im-
 pugnet: Circa illius formam carpunt,
 quod Pontifex nequidem convitato
 Cardinalium consilio illam promulga-
 rit, nec etiam Noailium Cardinalem
 de accusationibus contra librum ejus
 approbatione munitum intentatis mo-
 nuerit, Quesnellum non auditum dam-
 narit, infideles hujus libri versiones
 consuluerit, & ut hunc librum proscri-
 bere posset, propositiones aut trunca-
 tas, aut depravatas exposuerit, cum
 tamen præprimis Gallicanæ Ecclesiæ
 judicium expetere, & quicquid in Bulla
 obscurum, explicare debuisset. Deni-
 que suam appellationem innovantes,
 Constitutionem revocari, & Concilium
 Generale indici postulabant. Hujus
 epistolæ, quæ nonnisi mordax ac con-
 tinuata declamatio contra Clementem
 Papam erat, hi septem Episcopi Men-
 sem

sem Junium apposuerunt, perinde ac si Sæc. XVIII.
 mox post Innocentii XIII. electionem A. C. 1721.
 ad Eundem missa fuisset, cum autem
 hæc literæ integro semestri tardius Ro-
 mam per Viennensem postam fuissent
 allatæ, Pontifex in longioris hujus
 moræ causam investigans, comperit,
 quod præfati Præsules Viennensis Aulæ
 patrocinium & Præsulum concursum,
 incassum tamen emendicarint: Perlecta
 ergo hac epistola, Pontifex, horum
 Præsulum audaciam indignatus, totam
 rem Congregationi S. Officii discutiend-
 am commisit, quæ die Octava Januarii
 anno sequenti hanc epistolam, utpote
 plures propositiones Catholicis & præ-
 cipue Gallicis Episcopis, Clementis XI.
 memoriæ, Papæ regnanti, sacræque
 Sedi Apostolicæ injurias continentem
 proscripsit. Hoc decretum præsentem
 ac jubente summo Pontifice solemniter
 editum, ac publice affixum est die vi-
 gesima nona Martii. Haud minore in-
 dignationis sensu hæc epistola in Gal-
 liis excipiebatur; nunquam enim atro-
 cius Regis auctoritatem fuisse læsam
 arbitrabatur Abbas Mangujus, qui una-
 cum Abbate du Bois censebat hos Epi-
 scopos aut ad palinodiam esse adigen-
 dos aut omnino exauctorandos, quo-
 circa in Regio Senatu die septima De-
 cembris deliberatum, an hæc epistola
 M 2 atro

Sæc. XVIII. A. C. 1721. atro carbone sit notanda, hanc in rem Regii judices quasdam extraxere propositiones, demum die decima quinta ejusdem Mensis conclusum est, Episcoporum Parisiis agentium conventum esse celebrandum, in quo hæc epistola damnaretur.

§. XLII.

Caroli VI. Imperatoris circumspectio circa Constitutionis observantiam.

Hist. univ.
tom. 8.
Period. II.
c. 1. p. 536.

Enimvero præfati Episcopi datis Viennam literis Clerum, Proceres, populumque in pertinaciæ suæ societatem pertrahere, atque accedentibus Germaniæ Ecclesiis factioni suæ pondus adjicere laborabant; nec prorsus inanis erat eorum spes; quamvis enim Constitutio *Unigenitus* Treviri, Coloniae Leodii, & Mechliniæ in Belgio sollemniter fuisset recepta, non deerant tamen ex Ecclesiasticis nonnulli, qui contradicendi cupidine abstracti, motus commutare incæperant, mox tamen Præfatum auctoritate compressi. Pendebat adhuc apud Curiam Bruxellensem causa Guilielmi de Roost Canonici & Plebanus Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis qui apud suum Archiepiscopum Theobaldum Philippum de Bouffu delatus erat quod